



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 78. Vicina hujus Urbis loca a Calvinistis capta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

quii cum Albæ Duce habiti, hæc afferentes: „nos non latet, quod ibidem „decretum fuerit, ut Condæus Princeps, Colinius maris Præfectus, & „Andelotus, aliique Proceres caperentur, idcirco ad arma conclamavimus, „ut nos defendamus, cum aliam tuendæ nostræ libertatis, ac vitæ rationem „non habeamus: de cetero autem arma deponere parati sumus, si data „securitate pax æquis conditionibus constitueretur „

§. LXXVII.

Parisiensis urbs a Calvinistis cincta.

Cum Condæus Princeps præteritæ perduellionis haud immemor injuriæ Regi illatæ veniam obtinere desperarit, Parisinam Urbem cingere, ac famis violentia sibi subicere constituit, donec omnes, qui ferme in universo Regno adversus suum Principem arma sumpserant, sese eidem conjungere possent, eapropter hic idem in mandatis dedit, ut in Aquitania, Delphinatu, Alverniis, Occidania, & alibi æque, ac in Germania copiæ conscriberentur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

Thuan. l. 6.
Davila l. 4.
pag. 205.
Mezerai t. 5.
pag. 153.

§. LXXVIII.

Vicina hujus Urbis loca a Calvinistis capta.

Præ-

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

Thuan. l. c.

Præprimis Calvinistæ Monterigolum occuparunt, eoquod ab hac urbe Annona per Campaniæ, & Burgundiæ flumen copiose advehi posset: insuper Pontem Carentonii, qui Matronam annem excipit, suis armis subegerant, Melodunum vero, & Corbolicum aggredi non audebant, eoquod ambes urbes, licet exiguæ essent, valido tamen præsidio munitas scirent, atque earum primæ Crenayus, alteri vero Sourdus præesset: die tamen quinta Octobris noctu molatrinæ omnes inter Templariorum, & S. Honorati portas incendunt, postquam sancti Dionysii oppidum jam die secunda Octobris ceperant: porro eodem tempore Lanoyus Aureliam opitulantis hujus Urbis Calvinistis occupavit, adeo, ut Franciæ Regnum in uno quasi temporis momento iisdem calamitatibus, a quibus vix erepta fuerat, rursus per Calvinistas undique immersum cerneretur.

§. LXXIX.

Actum de Calvinistis ad officium revocandis.

Regina Regem eo inclinabat, ut pacem cum Calvinistis inire quæreret: illa enim verebatur, ne bello diutius protracto tota auctoritas penes Connestabilem, atque exercitus Belli